

Et a judicabitur, quamvis singulorum historiae non recitentur; propterea iudicium non dici potest mere internum. Non enim neganda est *apparitio visibilis* Domini qui hoc iudicium administrabit Math. XXV. 31 quem ideo rediturum e coelo praedixerunt Angeli Act. I. 10. Nam Christo ideo data est potestas iudicium exercendi, quoniam filius hominis est Ioh. V. 22 27. Nec neganda est *congregatio omnium*, coram tribunali Christi tam viventium, quam mortuorum, Rom. XIV. 9, quia omnes gentes, et omnes homines comparere debent coram Christo iudice, sive ad dextram sive ad sinistram collocandi Matth. XXV. 32. 2 Cor. V. 10. et ideo omnes ad poenitentiam vocantur Act. XVII. 31. Quod si vnus aliquis non compareret, falleretur Dei iuramentum Es. XLV. 23, quod est prorsus *ἀδύνατον*. Porro non neganda est *luculenta manifestatio ἀνοκάλυψις δικαιοκρισίας τῆ Θεῶ* *justissimi et accuratissimi iudicii*, quo Deus omnium occulta cordis, omnium etiam verba, et opera in iudicium vocabit, et sine personarum respectu decretoriam sententiam de iis feret. Rom. II. 5. 6. Matth. XII. 37. 1. Cor. IV. 5. 1. Petr. I. 17.

Neque vero maiestas iudicis permittet, ut absque vlllo reverentiae et subiectionis signo iudicandi coram ipsius tribunali consistant, sed *genuflexione et oris confessione*, testarum reddent, se hunc iudicem, Regem et Dominum agnoscere. Nec pii tantum, sed etiam, impii, quin et ipsi daemones subiectionem suam erga Christum declaraturi sunt, ut ex Phil. II. 10. intelligitur. Quid vero ibi fiet, de ferocissimis Criticis et qui ad ignominiam filii Dei Salvatoris doctrinam de extremo iudicio abnegare, et e religione Christiana expungere voluerunt? respondeo cum Esaia. *Pudescient qui in eum ira excanduerunt*. Discamus ergo dum adhuc tempus est, scire et revereri Dominum, ne eo ad iudicium venturo, pudeamus, et in aeternum pereamus, sed Domino placeamus, et recuperatae salutis partem in coelestibus Spiritualis benedictionis bonis habeamus. Nullam in hac vita committamus iniustitiam, adversus alios mentiendo, eosque defraudando, ne tandem cum pudore et damno irreparabili experiamur et agnoscere cogamur: Deum esse iustum, et iusta omnia illius iudicia.

\* \* \*

Coll. diss. A 234, nusc. A7